



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant**

**Segneri, Paolo**

**Dilingæ, 1699**

X. Dicebant Deo: recede à nobis, & quasi nihil posset facere omnipotens, æstimabant eum, cùm ille implêset domus eorum bonis. Job. 22. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)

fu digni nos sumus, quamvis, uti omnes mortales sumus, ita commu- nem omnibus stulticiam facile invi- cem condonamus.

X.

*Dicebant DEO: recede à nobis, & quasi nihil posset facere omnipotens, aestimabant eum, cum ille impléset domus eorum bonis.*  
Job. 22. 17.

1. **C**onsidera, fœdum agendi modum, quem tot homines adversus DEUM quotidie usurpant. Quoties accidit, ut nihil de ipso jam scire velint, ut illum dedignentur, ut contemnunt, ut dicere illi non vereantur: *Recede à nobis.* Ipso interea bona omnia largiente: *cum ille impléset domus eorum bonis.* Potentissimi quique, pecuniosi, robusti, & qui maxime florent in hoc mundo, hi sunt, qui continuo præ alijs peccant. Ecce quid possit ingratitude humana, nempe DEO reddere pro bono malum. Deplora hunc excessum, & detestare, tanquam summum, ad quem pertingere homo possit.

2. Considera benignitatem Domini, qui se repellentes à tergo insequitur: unde illis necessitas imponitur clamandi: *recede à nobis:* quia vident ipsū lateri hærentem. An & tu ita illi dixisti aliquando? si non verbis, ah quoties id illi operibus dixisti, non admit- tendo ejus in oratione commercium, inspirationes non amplectendo, incitationes non acceptando, nec curando, ut illum crebro reciperes in sanctissimo Sacramento. Si ille unquam te deseruit penitus subtracta gratia, certissimum tibi sit, illum à te semper rusticè repulsum. Nunquam ille di-

scedit prior, necesse est ut audiat dicentem: *Recede.*

3. Considera causam hujus opprobrij, quod DEUS patitur, quæ non est alia, nisi quòd homines in prosperitate putent illo sibi opus non esse: *Quasi nihil posset facere omnipotens, aestimabant eum.* Sed quæ ista stulticia est? si Dominus est, qui domos illorum implevit bonis, quibus fruuntur, an non idem est, qui eas possit vacuare? Omnipotens est, igitur facillimè potest. Sed hæc est dementia fortunatorum: *Quasi nihil posset facere omnipotens, aestimabant eum.* Cum ipse sit, qui dedit, quidquid habent. *Cum ille impléset domos eorum bonis.*

4. Considera, quàm parùm proinde curanda sit humana prosperitas cogitanti, quàm illa trahat tam manifestum contemptum ipsius DEI. O quantò satius est habere potiùs inanem domum, quàm opulentam, quàm redundantem. Non ita malè tractabant Dominum isti impij; *cum ille impleret domos eorum bonis, sed cum impléset.* Donec multa restant bona, quæ possint accipi, amatur DEUS, recitantur preces, fiunt promissa, aliquod obsequij genus exhibetur. Cessant ista; cum impleta est domus.